

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2639

**Auteur(s) :** Guy, Chartres, Saint-Père (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1225, 27 décembre

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Sentence de Guy, abbé de Saint-Père de Chartres, du Prieur du même monastère et du chancelier de Chartres, juges délégués par le Pape, sur le différend soulevé entre le prieur de Bellême et Étienne de Pontlevin, relativement à la dîme des légumes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 144, p. 149-150.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, G[uido] divina misericordia Sancti Petri abbas et prior ejusdem loci et cancellarius Carnotensis, judices a domino Papa delegati, salutem in Salutis Actore.  
Noverit universitas vestra quod cum causa verteretur coram nobis auctoritate apostolica inter priorem et monachos de Belismo, ex una parte, patronos ecclesie de Bellaviller, et Stephanum personam ejusdem ecclesie, ex altera, super hoc quod dicti prior et monachi petebant duas partes decime leguminum terrarum in parrochia de Bellaviller existencium, in quibus percipiebant duas partes bladi quando erat ibi bladum, tamdem de consensu parcium coram venerabili patre nostro Gervasio, Dei gratia Sagiensi episcopo, intervenit amicabilis composicio in hunc modum : quod dictus Stephanus in presencia dicti episcopi constitutus quicquid juris habebat in duabus partibus decime supradicte leguminum et habere se firmiter asserebat, in disposicione dicti episcopi commisit penitus decidendum. Nominatus vero episcopus de voluntate et assensu utriusque partis pro bono pacis ita dispositus quod dicti prior et monachi de Belismo habebunt de cetero duas partes decime leguminum de tota parrochia de Bellaviller, exceptis decimis ortorum, que precise et absque ulla reclamacione a priore vel monachis super eisdem decimis ortorum de cetero facienda, nominato Stephano ejusque successoribus imperpetuum renanebunt. Prefati siquidem prior et monachi dicto Stephano concesserunt illas duas partes leguminum ad firmam quamdiu vixerit habendas, ita quod reddet priori et monachis ad festum Sancti Leonardi unam minam pisorum annuatim, hoc adjuncto quod persona que post decessum prefati Stephani in dicta ecclesia instituetur, occasione dicte mine pisorum, in dictis duabus partibus decime leguminum campestrium nichil poterit reclamare.

Hanc autem compositionem a venerabili patre nostro videlicet Gervasio Sagiensi episcopo factam laudamus, volumus et approbamus, et quod ratum et stabile permaneat in futurum, ad utriusque partis instanciam, presentes litteras in sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas.

Actum anno gracie millesimo ducentesimo vicesimo quinto, quarto Calendas januarii.